

runt peccatores, velut fabri nimirum super incudem. Hieron. ex Hebr. vertit: *Araverunt arantes, prolongaverunt surculum suum*. Secundo, ex eo quod Pilatus voluit hac correptione mitigare furorē Judæorum: ut nihil ulterius peterent. Tertio, ex lictorum conditione. Erant enim Romani qui numerum verberum præscriptum non habebant et quandoque aliquos ad internecionem cædebant. Forte etiam ad placitum Judæorum acrius sæviebant. Quarto, ex cotumna, cui alligatus erat, quæ hodieque Romæ visitur sanguine respersa ad S. Praxedem. Quinto, ex merito peccatorum. *Nulla enim flagella peccatoris*, ait David, Ps. XXXI. quæ ille, nobis intentata, velut mater intercipientis, in dorsum suum suscepit. *Pro mensura autem peccati, erit et plagarum modus*, Deut. XXIII. Tertio, denique Dominus gloriæ patitur hoc a creaturis suis, et quidem tamquam reus emendatione dignus. Sed quid tandem est, quod immane hoc tormentum non avertit a se Christus, cum justo dicat Deus: *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*? Ps. XC. Sane apost. Paulus a tribuno ad flagella expeditus, absterruit tribunum voce hac: *Si hominem Romanum et indemnatum licet vobis flagellare?* Tertius enim tribunus illico eum solvit, Act. XXII. Quid si dixisset Christus: *Si hominem cælestem, imo Deum vestrum licet vobis flagellare?* Sed intellexit Dominus non tam ex decreto Judicis quam cælestis Patris sibi mulctam hanc impositam, uti testatur Isa. L. *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, id est, insinuavit mihi voluntatem suam de redimendo humano genere: *Ego autem non contradico, retrorsum non abii. Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus*. Sed cur hoc supplicium a Patre ei decretum? Primo, ut nos a peccatis in posterum absterret. Imprimis enim si Deus ita sæviit in servum impœnitentem? Contigit interdum flagellari servum coram filio regis, ut ex servi plagis discat timere filius: canem coram leone verberari, ut ex illius malo terreatur leo. Sed hoc contrarium factum est. Vapulavit filius, ut emendaretur servus; vapulavit leo, ut emendaretur canis. Deinde si tam acerbe puniit peccatum alienum, quomodo puniet proprium? Vis videre homo, quanta abominatio sit peccatum et quam fœda sit anima peccato inquinata? Inspice Christum flagris concisum et toto lividum ac cruentatum corpore. *Nos putavimus eum quasi leprosum, inquit Isaias, c. V. de hac tragœdia prophetans, percussus a Deo, et humiliatum*. Hæc est forma, hæc species animæ peccatrici, quam Christus in se suscepit. Unde subdit propheta: *Ipsæ autem vulneratus est propter iniquitates nostras*. Num adhuc

peccare audebis? Num adhuc super dolorem vulnerum Christi addere? Heu qualis fuit morbus noster qui tam terribili phlebotomia eguit!

Secundo, ut puniret peccata, quibus adhuc eum flagellamus tota die, quia nomen meum blasphematur tota die, inquit. Flagellatur autem blasphemis, ut ait S. August. tract. X. in Joan. Tertio, ut illarum nobis virtutum, quas difficile ad discimus, vivum aliquod exemplum proponeret in Filio suo. Difficile addiscimus contemptum et confusionem pati. Ecce tibi Dei Filium, nudatum coram scurris et ludibriis expositum, ut scires nullam ignominiam, sed honorem potius, cum pro Deo accipitur.

Difficile addiscimus hominibus obedire, malis præsertim et dyscolis. Ecce tibi Filium Dei, qui ligari sese et ad verbera aptari passus est, pro libitu et libidine vilissimorum servorum.

Difficile addiscimus patientiam in doloribus; silentium in injuriis. Ecce tibi magistrum hujus artificii, qui inter immania verbera tam æquo animo stetit, quasi ignoraret quid circa se ageretur, uti dicitur Psal. XXXIV. *Congregata sunt super me flagella et ignoravi*. Nulla ibi vox, nullus gemitus, sed velut ovis coram tondentibus se obtulit. Imo ausim dicere hilarem potius et alacrem se ibi exhibuisse Christum. Non enim frustra dicit, Cant. V. *Messui myrrham meam cum aromatibus meis*: loquens de passione sua. Ut enim agricolæ, cum metunt, lætiores esse solent, quam aliis temporibus, licet multo sudore et corporis incurvatione laborent tota die, juxta id Isa. IX. *Lætantur coram te sicut qui lætantur in messe*; ita Christus licet ad verbera ad modum incurvatus esset, et sanguinem sudaret, lætus tamen interim fuit, quia metebat tunc aromata suorum electorum.

Denique difficile addiscimus dilectionem inimicorum. Ecce tibi doctorem hujus etiam artis? Siquidem tot verbera pro inimicis suis pertulit, solo amore ductus: « Aspice ut in toto corpore scriptus. Agnosce homo, quantum valeas (inquit Augustin. serm. CXIV. de temp.) et quantum debeas; et dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur; damnatur justitia pro iniquo; misericordia affligitur pro crudeli; pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo; addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. » Sic Augustinus.

§ XX. — QUATUOR REGUM INSIGNIA CHRISTO LUDICRE EXHIBITA.

I. Ostendunt eum bellatorem. — II. Victorem ostendunt. — III. Ostendunt regnam non esse terrenum. — IV. Ostendunt viam cæli. — V. Ostendunt peccata nostra. — VI. Ostendunt cæli gloriam. — VII. Ostendunt regnorum terrenorum vanitatem. — VIII. Ostendunt exemplum humilitatis et patientiæ.

THEMA.

*Plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus. Matth. XXVII.*

In tota Scriptura non reperio nisi unum apologum nempe Judic. IX. de rhamno, qui non sine futuri mysterii tacita insinuatione regnum obtinuit inter ligna. Proposuit enim Jonatham ejusmodi apologum: *Terunt ligna ut ungerent super se regem*; et cum oliva, ficus et vitis respuerunt oblatam regis dignitatem, dixerunt omnia ligna ad rhamnum: *Veni et impera super nos. Quæ respondit eis: Si vere in regem me constituitis, venite et sub umbra mea requiescite, si autem non vultis, egredietur ignis de rhamno et devoret cedros Libani*. Hæc fabula, auditores, non mendacium, sed mysterium continere mihi videtur. Quando enim rhamnus rex lignorum factus, nisi quando in regium Christi ascendit caput? Et enim clavi manibus ac pedibus Christi adhæserunt, flagellum dorso, crux humeris, lancea lateri, sponsia ori, spina vero capiti. Nec mirum, si hoc mysterium per fabulam explicetur, quia etiam Christus, cum spinis coronaretur, factus est in parabolam, Psalm. LXVIII. imo in Judæorum et gentilium fabulam; uti audiemus.

Romanorum imperatorum quatuor potissimum erant prærogativæ; purpura, corona, sceptrum, reverentia et honor imperialis. Hæc omnia exhibuere Christo milites per ludibrium et contemptum veluti regi ludicro et fictitio, proinde etiam ludicra. Primo enim, loco veræ purpuræ (quæ regia et pretiosissima vestis erat) induunt eum tunica coccinea, quæ purpuram quidem regiam præsentaret (ideoque a Marco purpura, a Joanne vestis purpurea vocatur, tum quia colore non absimilis, tum quia loco purpuræ Christo induta erat) revera tamen coccinea tantum videtur fuisse adeoque purpura vilior; tum quia ludicrum regem ludicris tantum insignibus volebant investire, uti corona spinea, sceptro arundineo, veneratione gesticulatoria; tum quia veteram purpuram non facile voluissent ita dehonestare, ut Christo eam induerent. *Purpuram vocat, inquit Euthymius, utpote purpuræ similem*:

*neque enim vera erat purpura*. Purpura fit ex conchæ sanguine raræ et pretiosæ. Coccinum ex sanguine vermiculi rubri, qui innascitur grano tinctorio, orto ex frutice fullonia quæ ilici est similis, ut scribit Corn. a Lapide, in cap. XXV. Exodi. Secundo, corona adornant spinea. Tertio, armant arundine velut sceptro. Quarto, opprobriis et sannis excipiunt iisque quatuor; nam genu flexo adorant eum: *Ave rex Judæorum*, percutiunt caput ejus arundine, conspuunt, dant alapas. Per primum volunt ostendere regis paupertatem; per secundum ejusdem miseriam et calamitatem; per tertium impotentiam et inanitatē; per quartum vilitatem et contemptum. Et hæc quidem illi pro libidine et cæcitate sua, instigante dæmone, Judæis applaudentibus, Pilato connivente. Verum nil effecerunt; nam Christus mansit rex, ut vel titulus crucis indicavit; et manebit in æternum. Ad hæc volebant illi confundere Christum, sed neque hoc assecuti sunt; quia omnia tulit et superavit Christus summa patientia, quasi non dolores sed gaudia, non convicia sed laudes forent, uti revera erant; siquidem hæc omnia conversa ipsi sunt in gloriam et honorem. Unde ait per Isaiam, cap. L. *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me: Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus; ideo posui faciem meam ut petram durissimam et scio quoniam non confundar*. Denique in his omnibus longe alium in finem spectabat is, qui ea patientissime ferebat, cui fini serviebant milites illi licet ignorantes; sicut etiam Caiphas, cum ignorans prophetavit.

I. Ostendunt eum bellatorem fortem ad quævis patrandam et patiendam. Chlamys vestis militaris militem demonstrat; corona spinea galeam representat ad quosvis ictus impune sustinendos; arundo hastam vel gladium notat. *Dicitur enim arundo*, inquit S. Athanas. serm. de cruce et passione Domini, *serpentibus lethalis esse, atque inde potissimum interfici*. Opprobria et alapæ, militis hujus exercitia et prælia sunt. Quoniam ergo jamjam initurus erat prælium cum dæmone, juxta id: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*; ideo armatur ut miles, sed novo armorum genere; quia non vulnerare et occidere parabat, sed pati potius et occidi. Et hæc est militia Christianorum.

II. Ostendunt eum victorem et triumphatorem tartaræ potestatis. Imperator enim triumphans in curru triumphali sedebat, purpura auro in-texta indutus, laurea redimitus, ramum lauri dextera tenens; accedebant faustæ acclamationes et carmina triumphalia, quibus etiam jocos



miscere licebat, ut scribit auctor antiq. Rom. I. X. c. XXIX. Talis apparet in hac pompa Christus. Imprimis in altum elevatur, more Romanorum, ut scribit Clemens Alexandrin. I. II. pæd. c. VIII. Deinde purpura sanguine ejus respersa vestitur; tum pro lauri ramo arundinem gestat; corona etiam spinea (quæ devicti peccati, quod configit et cruciat animam, typus erat) redimitus miras acclamationes audit, scommata videlicet et opprobria. Nec mirum si triumphet in prælio adhuc positus, quia de victoria certus erat.

III. Ostendunt Christi regnum non esse de hoc mundo, sed cœleste et spirituale, adeoque regnum aliquod esse in paupertate et nuditate, in mediis spinis et doloribus, in fame et inanitate, in sputis et contumeliis omnisque generis persecutionibus, juxta Christi doctrinam: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: beati qui lugent, esuriunt et sitiunt, etc.* Et hoc est regnum Christi, quod habet in hoc sæculo. Si de mundo isto fuisset regnum Christi, mundus eum aliter coluisset. Nunc autem qualem honorem tribuat mundus virtuti et sanctitati, quale præmium benefactori, vides. E fimbria vestis illius recepit sanitatem, nunc eum illudit veste coccinea; e sacro illius ore viam cœli didicit, nunc illud deformat sputis; ex illius manibus accepit refectionem et innumeras sanitates, nunc eas implet arundine; ex illius saliva recepit visum, nunc salivis illum conspuat; e gratioso ejus vultu percepit multa solatia, nunc illum alapis cædit.

IV. Ostendunt nobis viam perveniendi ad verum regnum. In purpura seu coccino humilitatem; nam purpura in imo tantum pelago reperitur, teste Pierio, lib. XXVIII. hierogl. coccinum autem ex vermiculo fit. In spinis tribulationes, quæ nos passim ambiunt; in arundine justitiam; in sputis et conviciis contemptum injuriarum. Ergo qui cum Christo vult regnare, debet prius hic spinosum iter percurrere. De corona spinea pervenitur ad illam auream. *Delicatus es frater, inquit Sanctus Hieronymus, in reg. monach. cap. XXIX. si hic vis gaudere cum sæculo, et ibi regnare cum Christo.*

V. Ostendunt nobis peccata nostra, et miseras inde ad nos devolutas, pro quibus emolliendis patiebatur Christus. In purpura animæ peccatricis foeditatem; cum enim in paradiso candidissima innocentiae veste decoraretur homo, per peccatum induit vestem coccineam et sanguineam, juxta id Isa. c. 1. *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, sicut nix dealbabuntur.* Idecirco Dominus alba veste exiit et induitur coccinea. In spinea corona, miseras et calamitates intueret, in quas

eo lapsu præcipitati sumus, juxta id Gen. III. *Maledicta terra in opere tuo; spinas et tribulos germinabit tibi.* In arundine mobilitas, vanitas et levitas nostra castigatur, siquidem instar arundinis vento agitata, levi serpentis afflatu Eva, et levicula Evæ seductione Adam, parentes nostri, a virtutis proposito moti, et per hoc a paradiso amoti sunt. Denique ficta genuflexio, percussio cum arundine facta, sputa, alapæ manifeste representant rebellionem creaturarum, quæ nobis prius subdite erant, postea nos ferire nobisque dominari et illudere cœperunt, quemadmodum bestiae pleræque, et ipsa caro nostra perpetuo nos colaphizans, terræ maledictio, quam sudore exercemus et terimus. Neque solum parentum primorum, sed nostra etiam, quæ quotidie perpetramus, scelera ostendunt. Nos enim etiamnum spiritualiter id Christo facimus, quod fecere milites corporaliter. Nos ei coccineam chlamydem injicimus, cum animas nostras peccatis inquinamus. Spinis eum coronamus, cum voluptatibus, divitiis et curis sæcularibus nos ipsos addicimus. Arundine percutimus, cum in peccata expiata nostra levitate et inconstantia relabimur. Fictæ adoramus, cum in oratione nostra vani et vagi sumus. Conspuimus blasphemias. Colaphizamus persequendo servos et sanctos ejus. Rursum peccant homines in vestitu, ecce igitur purpuram gestat fictitiam. Peccant in capillis, itemque in curis, divitiis et voluptatibus, ecce tibi spinas. Peccant in potestate et imperio, ecce tibi arundinem. Peccant in honorum ambitu, ecce tibi opprobria fert.

VI. Ostendunt immensam illam gloriam Christi et sanctorum ejus, quam in cœlo habent, et Christus sibi ac illis meruit. Christus enim in cœlo regnans vestitus est gloria corporis, *amicus lumine sicut vestimento*, Ps. CIII. quod designat purpura. Gloriam et sedem habens eminentissimam, quod significat corona vertici imposita. Potestatem supremam gubernandi mundum, quod designat sceptrum arundineum. Adoratur, laudatur et benedicatur a tota cœli militia, quod significant fictæ adorationes et convicia. Similiter etiam sancti regnabunt in cœlo cum Christo, quod toties illis promissum in ss. litteris, et similem etiam gloriam, debita tamen proportionem, nanciscuntur ipsi quoque. Sua enim purpura meruit illis gloriam corporum resuscitandorum; sua corona spinea, coronam auream; sua arundine, potestatem regni; suis opprobriis, laudes et delicias æternas.

VII. Ostendunt regnorum terrenorum vanitatem et miseras. Gestant reges chlamydem militarem purpuream, quia perpetua militia et

sanguinis effusione tueri debent regnum suum. Gestant coronam spineam mille curis, molestiis et laboribus capiti eorum pungentem. Unde Antigonus dicebat: Si quis nosset, quantum malorum sub diademate lateret, ne humi quidem jacens tollendum fore. Gestant sceptrum arundineum, id est, fragile et sæpe inane, cum videlicet coercere nequeunt rebelles, quod sæpe sæpius fit. Coluntur a ministris, subditis, adulatoribus; sed fictæ sæpe et coacte.

VIII. Ostendunt exemplar vivum et efficacissimum, humilitatis et patientiæ. Quemadmodum enim milites cassidem aut thoracem ferreum probant gladiis et selopetis, et siquidem nullis cedat ictibus, tum demum ei fidunt et secure eum induunt; ita in presentiarum Christi patientia et humilitas probata est a militibus spinarum aculeis, sputis, alapis, percussione, probris et invicta est reperta. Nullus enim sibi gemitus, nulla querela, nulla defensio, nulla fuga. Quis hunc thoracem induens, sibi in posterum timeat? Cogitate quantum ibi tormentum in capite spinoso? Quanta ibi confusio in Domino gloriæ? Quid sunt ea quæ nos patimur, si cum istis conferamus? Tulit ille pro nobis, cur non et nos pro illo? Hunc igitur thoracem induamus Christi. Et ad hoc invitavit nos, ut vidimus initio, rhamnus: *Si vere me regem constituitis, venite et sub umbra mea requiescite.* Requierunt sub hac umbra sectatores humilitatis, qui spinis maluerunt, quam auro coronari. Talis ille miles, qui noluit castrensem coronam capiti suo imponere sicut reliqui faciebant: sed manu potius gestabat dicens, religione se prohiberi quod Christus spinis coronatus fuerit delusus. Pro cujus defensione scripsit Tertullianus, librum de corona militis. Talis Catharina Sennensis, quæ offerente sibi Christo auream et spineam coronam, spineam arripuit et capiti fortiter impressit, Sur. 29. april. Talis Godefridus Bullionius prius Jerosolymorum rex creatus, qui noluit ibi coronam gestare auream, ubi Christus pro nobis gestavit spineam, ut Wilhelmus Tyrius, de bello sacro scribit. Unde in statu Oenipontanis spinea redimitus cernitur. Talis Ludovicus rex, qui prohibuit suæ proli sarta aurea vel rosea gestare die Veneris, ob honorem coronæ Christi spineæ, Holcot. in sap. lect. XXII. Talis S. Elisabetha, quæ coram imagine crucifixi aut eum rei divinæ interesset, capiti coronam detrahebat, indignum asserens videri coram Christo spinis coronato, assistere regio cultu, Rader. in Bav. s. p. I.

Sed quid de illis fiet, qui sub umbra rhamni hujus nolunt requiescere? *Si non vultis, ait*

rhamnus, *egredietur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani.* Quod sane eveniet superbis, quibus uti crux, ita et spinea corona, scandalum et stultitia fuit; eveniet, inquam, quando egredietur a Christo vox illa: *Ite in ignem æternum.*

#### § XXI. — OSTENDITUR CHRISTUS POPULO.

I. Educit Pilatus Christum foras. — II. Exit Jesus portans spineam coronam. — III. Ait Pilatus: *Ecce homo.* — IV. Clamant: *Crucifige eum.* — V. Ait Pilatus: *Accipite eum vos et crucifigite.* — VI. Pilatus magis timet.

#### THEMA.

*Ecce homo.* Joan. XIX.

Exodi c. III. grande miraculum Moysi ostensum fuit, Deus videlicet in rubo ardente, qui tamen non comburebatur. Itaque ut rem propius cognosceret Moyses, ait: *Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Simile miraculum ostensum mundo fuit, quando Dei Filius, de quo apostolus ad Hebr. VI. ait: *Deus noster ignis consumens est*, spinis coronatus publico spectaculo productus in theatrum fuit. Quantum est hoc, Deum spinis coronatum cernere? Quantum hoc, spinas tanto infixas dolore non consumi ab hoc igne? Igitur vadamus cum Moyse, et videamus visionem hanc magnam. Sic monet Spiritus sanctus, Cant. III. *Egredimini, filie Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua: impia videlicet synagoga.*

I. *Exiit iterum Pilatus foras, et dixit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam.* Eduxit eum Pilatus primo, ut flecteret Judæorum animos. Secundo, ut ostenderet nullam in eo mortis causam inventam. Sed dices quomodo ex hac productione cognoscere poterant Judæi nullam mortis causam in eo inventam a Pilato? Respondetur primo, quia si ita male eum tractavit, quem reum non deprehendit, utique intelligere debebant Judæi, multo durius tractaturum, adeoque crucifixurum fuisse eum, si reum deprehendisset. Hinc igitur patebat, mortis causam in eo non inventam esse. Secundo, quia si aliqua in eo causa fuisset, jam hoc supplicio expiata fuisset. Tertio, quia ex hoc aspectu poterant conjicere, nihil sibi ab ejus regio titulo metuendum, utpote qui vix homini, nedum regi similis videretur. Denique, forte admiratus Pilatus Christi patientiam



et constantiam in perferendis tantis injuriis, quem ipsemet pronuntiarat non semel innocentem, monere voluit Judæos, ut ex hoc et ipsi colligerent ejus innocentiam. Sic enim ex patientia Christi in cruce collegit latro et centurio eum esse justum. Putavit olim dæmon Sanctum Job in cute malum esse, ideoque a Deo petiit ut tangeret carnem ejus, tunc enim manifestam fore ejus impatientiam et hypocrisin. Tactus est igitur Job ulcere pessimo, sed nihil in eo malitiæ inventum. Ita forte putabat Pilatus: si quis in Christo sanguis infectus culpæ alicujus foret, cum hac terribili phlebotomia proditurum fuisse. Quia igitur tantum cruciatum et contemptum Christus tam æquo tulit animo, nec contra injustitiam judicis quidquam est locutus, hinc intelligi poterat, hominem istum sanctum et justum esse.

II. *Exivit ergo Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum.* Libenter et ultro secutus est Dominus Pilatum (exivit enim, non extractus est) ut se populo spectandum offerret. Primo, ut doctrinam suam exemplo roboraret. Docuerat enim ipse Matth. V. *Quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo.* Certe jam ad aliquot millenos eosque asperos passus fuerat angariatus, et jam ulterius cum Pilato vadit. Nostra patientia Herculis terminum cito attingit: *Non plus ultra*, sed Christi cum Alexandro M. plus ultra tendit, Plut. in vita Alex. M. Secundo, ut doceret nullam in mundo confusionem virtutis causa perfimescendam aut fugiendam, sed potius alacri animo amplectendam esse. Ita monet S. Petrus, ep. I. c. IV. *Nemo vestrum patiatut quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* Fecerunt illud imprimis martyres, qui ad agonem suum non aliter prodibant, quam si ad regiam electi dignitatem, thronum regium ascenderent. Sic Agatha lætissime et glorianter ibat ad carcerem; sic Magdalena illa in Japonia ex carbonibus rogi fecit sibi sertum, capiti eos imponens, apud Nic. Trigautium in triumph. Jap. Sic B. Thomas Morus ad diem sui martyrii festivas induit vestes. *Sic ibant etiam apostoli gaudentes pro nomine Christi contumeliam pati.* Fecerunt deinde sancti aliquot confessores, qui pro Christo stulti facti sunt, ut a mundo despicerentur, uti Simeon Salus, Jacoponus, Sylveria, etc. Tertio, ut suo exemplo absterret et revocaret a peccatis homines. Hanc enim ob causam malefici antequam plectuntur, populo spectandi proponuntur. Vel ergo putabant aliqui Christum reum esse, et tunc ejus aspectu et despectu debebant abster-

ri. Vel putabant innocentem et tunc cogitare debebant: si hoc fit in ligno viridi, quid in arido fiet? Quarto, ut suam nobis charitatem quasi in tabella pictam publice ostenderet, q. d. videte, filii mei, quantis vos doloribus pepererim, quantum vos dilexerim.

III. *Dicit illis Pilatus: Ecce homo.* Dictum hoc intelligere possumus partim ex mente Pilati; partim ex mente Dei; partim ex mente nostra. Ex mente Pilati significat primo: Ecce vobis hominem, mihi quem tradidistis adeo castigatum ut nihil ultra postulare debeatis. Ecce enim qualis homo, ut merito dubitari possit, utrum homo sit? Hoc sensu dicebat David Sauli: *Quem persequeris, rex Israel? Quem persequeris? Canem mortuum persequeris et pulicem unum*, I. Reg. XXIV. Sic dicimus de lacero centone: Ecce vobis pallium! De malo et nimium diluto vino: Ecce vobis vinum! q. d. non meretur nomen pallii aut vini. Vult ergo dicere Pilatus, quod olim Andronicus imperator orientalis pro seipso dicebat suis interfectores: *Quid calamum quassatum confringitis? Nicetas*, I. II. Jam occidistis, quia non hominem fecistis: quid ultra occidere paratis?

Secundo, ecce homo est uti vos. Naturam vobis similem intuemini. Si non movet vos ut homo vestræ gentis; si non ut homo innocens; si non ut homo miser et vir dolorum; moveat saltem ut homo. Sic Judas fratrem Josephum servare nitebatur dicens: *Frater enim et caro nostra est*, Gen. XXXVI. Saxumne aut ferrum putatis esse istum? Homo est similis vobis, nihil ultra ferre potest.

Ex mente Dei primo, proditur hic et verificatur in Christo, secundo nostro Adamo, acerbus ille sarcasmus, quo Deus Adamum primum, postquam induit veste pellicea (ut innuit verbum Hebraic. Or) ita ut feram potius quam hominem repræsentaret, irrisit voce illa: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Videmus enim hic Christum (qui sane unus erat e SS. Trinitate) mira et ferina quasi pelle indutum, ita ut lacerata et cruentata ejus cutis non hominem, sed tigridem aut pantheram repræsentare videretur. Ecce igitur Adam, ecce homo ruber, (hoc enim sonat Adam) homo cruentus, et in feram pene deformatus, quomodo unus ex nobis factus est, quando ne homo quidem videtur esse? Et quemadmodum post hoc Adaz: mox ejectus e paradiso fuit; ita Christus ex urbe Jerosolyma.

Secundo, monstratur nobis homo ille, tot votis expetitus a languente homine. Hic est enim is, quem petiit infirmus ille ad piscinam jacens per annos triginta octo dicens: *Domine, hominem*

*non habeo, ut eum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam*, Joan. V. Loquitur per ipsum totum genus humanum, quod hominem non habebat, a quo mitteretur in balneum salutare, quo curari posset a vitio et peccatis. Nunc igitur, ecce tibi hominem illum, inquit Deus; hic tibi e suomet sanguine, quem undique vides scaturire, balneum parabit et te in id immittet. Non ergo possumus amplius dicere: *Hominem non habeo.* Quot enim sacerdotes, tot ejusmodi homines Christi ipsius vicarii, qui nos in piscinas sacramentorum immittunt, et sanant, a languoribus, quoties nos volumus.

Tertio, ostenditur nobis fructus peccatorum nostrorum. Si enim interrogemus Deum, cur adeo dire Filium suum voluerit tractare, respondet illico: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Ergo scelera nostra sic eum confecerunt; quæ si non fuissent, tali forma Christus jam non appareret. Cujus rei figuram legimus, Ez. XLIII. Ubi præcipit Deus prophætæ: *Fili hominis, ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis.* Vult dicere: Ostende eis templum, ut confundantur, quod ob sua scelera tam magnifica Dei basilica sit eversa, ut explicat ibi Cornelius. Ergo ostenditur hominibus templum corporis Christi, de quo ipse: *Solvite templum, etc.* ut intelligant et erubescant, quod ob ipsum peccata adeo sit deformatum; et stimulentur ad ipsum reedificandum. Et vero uti Pilatus hac ostensione voluit cohibere Judæos ab ulteriore Christi persecutione; ita et Deus nos a sceleribus patrandis.

Ex mente nostra repræsentat Christum Pilatus Deo Patri, ut respiciat in faciem Christi sui, quasi dicens cum filiis Jacob: *Vide, an tunica filii tui sit annon?* Est profecto, sed noli, quæso, hanc noxam imputare nobis; accusa potius peccatum, quod nos dementavit: *Fera pessima devoravit eum.*

IV. *Cum vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.* Frustra laboras, Pilate, nihilo mitiores fiunt isti canes, sed in jacentem acrius sæviunt. Unde ipsi bene dixit per prophetam: *Circumdederunt me canes multi.* Et quemadmodum elephantos ostense sanguine acrius sæviunt, I. Macch. VI. ita et Judæi tam miserabili aspectu magis exacerbati sunt, nec attenderunt ad hominem saltem natura sibi similem; ut bene dixerit Christus, Ps. XXI. per Davidem: *Ego autem sum vermis et non homo.* Vide ergo hic Judæorum obstinatissimam mentem, quam usque hodie retinent. Secundo, pontificum nequitiam; suis enim clamoribus intonant; et populum forte aliter locuturum in

suam sententiam pertrahunt. Tertio, populi levitatem, quia tam facile se patiatut abstrahi ab æquo, ut placeat superioribus. Quarto, omnium furorem, quem ostendit insana illa clamoris ingeminatio: *Crucifige, crucifige.* q. d. noli tergiversari multum: in crucem agendus est, sic volumus, sic jubemus. Hos imitantur qui contemnant penitentiam; hi enim affigunt Christum, ut nequeant ab eo juvari et absolvi. Tres clavi sunt: si non doleas de peccatis; si non proponas emendationem; si non integre confitearis. His configitur Christus.

V. *Dicit ei Pilatus: Accipite eum vos et crucifigite: ego enim non invenio in eo causam.* Responderunt ei Judæi: *Nos legem habemus et secundum legem debet mori, qui Filium Dei se fecit.* Improbi ad leges provocant, cum de aliorum corio ludant; sed cum ipsi peccant, legibus teneri nolunt.

VI. *Cum audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.* Timuit, inquam, ne forte revera esset Deus quem tot contumeliis affecerat, et condemnare insuper perurgebatur. Poterat hic, Pilatus facile metuere, quia gentiles existimabant deos habere filios. Sed nos hic sistamus, et si Pilatus timuit moliri quid hostile in eum, de quo subdubitabat, an forte Deus esset; non timebit Christianus offendere eum, quem scit esse Deum suum?

#### § XXII. — EXAMINATUR RURSUM JESUS, ET RURSUM OSTENDITUR POPULO.

##### Circa examen.

I. Pilatus iterum examinat Jesum. — II. Jesus non respondet. — III. Ait Pilatus: *Mihi non loqueris?* — IV. Respondet Jesus: *Non haberes in me potestatem, etc.* — V. Quærit Pilatus dimittere Christum. — VI. Judæi reclamant.

##### Circa ostensionem.

I. Pilatus sedet pro tribunali. — II. Erat parasceve. — III. Ait Pilatus: *Ecce rex vester.* — IV. Illi clamant: *Tolle, tolle.* — V. Ait Pilatus: *Regem vestrum crucifigam?* — VI. Respondent: *Non habemus regem nisi Cæsarem.*

##### THEMA.

##### Ecce rex vester. Joan. XIX.

Cum intueor Pilatum huc illum discurrentem, modo foras prodeuntem ad Judæos, modo ingredientem in prætorium, modo surgentem e tribunali, modo rursus sedentem, videre mihi